



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

dinem. Docent tamen *J. Sanch.* d. 4. à n. 5. *Mascaren.* & alii sacrificari posse pro homine a-
dulto baptizato in agone, quia potuit postea
commisisse veniale. *Nec obstat*, quòd non sacri-
ficetur pro Martyre, qui similiter habere posset
veniale, *nam* hoc non ita facile præsumitur,
cùm moriatur pro fide, & ordinariè ex perfecto
amore Dei. Quamvis autem *Henao* post *Histo-*
riam scient. mediæ parergo 23. putet pro tali
baptizato posse legi Missam de *Requiem*, tamen
melius dicunt alii legendum esse de Angelis vel
gratiarum actione, uti fit in funere infantium,
ne populo detur scandalum & occasio judican-
di, quòd Baptismus non remittat omnem cul-
pam & pœnam.

Q. 5. Quid addendum sit circa effectus Sacrificii 40.
Missæ. R. Seqq.

§. 1. Sacerdos in Missa potest considerari
quadrupliciter, 1. Prout gerit personam Christi
principaliter consecrantis, cujus est ve!ut instru-
mentum. 2. Prout est publicus Minister Eccle-
siæ, cujus nomine offert Deo hoc Sacrificium,
& in cujus etiam persona orat illa, quæ in Missa
recitantur. 3. Prout est privata persona etiam
nomine suo offerens & orans. 4. Prout offert &
orat nomine illorum, qui ad hoc Sacrificium
specialiter cooperantur vel concurrunt, quales
sunt Ministri, adstantes; item illi, qui Sacrifi-
cium petierunt.

§. 2. Fructus Sacrificii est triplex: *primus* re- 41.
spondet Sacrificio secundum se, prout est opus
positum à Sacerdote ut operante in persona
Christi, & dicitur fructus specialis vel substan-
tialis. *Secundus* respondet Sacrificio, prout est
opus positum à Sacerdote, ut operante in no-

mine vel persona Ecclesiæ, & dicitur fructus generalissimus, de quo participant omnes Christi fideles per se loquendo. *Tertius* respondet Sacrificio, prout est opus positum à Sacerdote, ut operante in nomine & persona privata, vel prout est positum ab illis, qui specialiter ad illud cooperantur aut concurrunt, & dicitur fructus specialissimus. Singuli hi fructus sunt satisfactorii saltem latè seu applicativi satisfactionum Christi, vel impetrativi remissionum: Item impetratorii aliorum beneficiorum, uti notant communiter AA., quamvis aliqui cum *Pasq.* q. 107. dissentiant, putantes non omnes esse satisfactorios: de quibus omnibus videri potest *Pasq.* à q. 88., usque ad 102, ubi accuratè explicat, in quo singuli hi fructus fundentur, & quibus convenient vel applicari possint.

42.

§. 3. Sacrificium Missæ est secundum se valoris in actu secundo simpliciter infiniti, *Caj. Silv. Suar. Vasq.* & alii 27. AA. gravissimi, quos refert & sequitur *Pasq.* q. 117. contra *Bellarmin. Lugo, Pallav.* & alios multos cum *Card. Bona De Missa* c. 1. §. 55., quorum tamen plerique in re non dissentiunt, sed tantum volunt, non esse actu infinitum quoad vim proximam causandi, vel quoad effectum in actu secundo, quod etiam dicemus n. 47. Ratio nostra est, quia valorem actionis constituit dignitas operantis, sed dignitas personæ operantis actionem sacrificativam est simpliciter infinita, cum sit persona Christi, Hominis-Dei: & ob illam rationem docent omnes, Sacrificium in cruce & ultima cœna oblatum, quod cum hoc in substantia erat idem, fuisse infiniti valoris; consequenter singulæ

gulæ Missæ habent in actu secundo secundum se comproportionem & condignitatē ad omne bonum possibile obtinendum, non prout ponuntur nomine Ecclesiæ, Sacerdotis, vel adstantium, sed nomine & in persona Christi.

Obji. Si ita est, Sacrificium Missæ non deberet esse iterabile, uti ideo iteratum non fuit Sacrificium in Cruce. *R.* N. seq. Nam imprimis aliquod jure sacrificium esse debuit, quod constitueret Religionem Christianam. Deinde iterari debuit ad exhibendam Deo sæpè & ubivis supremam latriam & gratiarum actionem. Denique cum Deus voluerit successive per vices & tempora applicari diversis hominibus merita, & satisfactiones & fructus Sacrificii cruenti, debuit incruentum Sacrificium pro diversis temporibus & locis esse iterabile, non aliter ac Sacramenta, aliæque opera, per quæ repetita Deus voluit applicari virtutem passionis Christi secundum se infinitæ.

§. 4. Effectus Sacrificii Missæ sunt sequentes, 43.

1. Dei complacentia tam ratione rei oblatae, quam principalis offerentis, qui est Deus-Homo exhibens per hoc Sacrificium sanctissimæ Trinitati perfectissimum cultum latriæ.

2. Quædam exsolutio gratiarum pro beneficiis Dei, nam hoc Sacrificium, in quantum Eucharisticum, est recognitio beneficiorum Dei cum oblatione reciproca hujus hostiæ pro exsolvendo debito gratiarum. 44.

3. Remissio peccatorum quoad culpam & poenam, nam esse Sacrificium propitiatorium, de fide est ex *Trid. sess. 22. Can. 3. Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in* 45.

Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse fument, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit. Idem habent *conc. Brach. Liturgia S. Jacobi Apostoli, antiquissimi PP.* quorum loca & verba referunt *Bellarm. l. 2. c. 2. Becan. De trip. sacrif. l. 3. c. 12. à n. 5. Pasq. q. 54. Dicast. d. 1. dub. 17.* Quando autem *Trid.* suprâ c. 2., inde videtur probare hoc Sacrificium esse verè propitiatorium respectu culparum, quia per ipsum fit, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno, eò quòd hujus oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentie concedens crimina & peccata etiam ingentia remittat, satis innuit hanc remissionem peccatorum causari per Sacrificium mediatè tantum, in quantum propter illud Deo oblatum dantur gratiæ actuales & auxilia operativa contritionis vel aliorum actuum supernaturalium, quibus peccata deleantur, quas gratias & auxilia immediatè causet seu exigat Sacrificium: ita *S. Th. Suar. & alii 50.*, quos relatis locis citat & sequitur *Pasq. q. 63.*, videtur autem esse contra *Catharinum & alios*, quibus tribuitur, quod docuerint per Sacrificium conferri gratiam, uti per Baptismum vel Pœnitentiam, consequenter per illud remitti mortalia attrito, quam opinionem graviter notant aliqui apud *Mendo d. 7. q. 1. n. 7.* eamque rectè confutant *Bellarm. c. 4. prop. 2. & pluribus Dicast. d. 3. à n. 5.* Imò probabilius videtur cum *Suar. Vasq. Bon. Côn. Laym. Rayn. Dicast. n. 31. Pasq. q. 68. & 69.* contra *Canum, Henriq. Cordub. Valent. & alios*, etiam venialia ita mediatè tantum remitti per Sacrificium, quia *Concilia & PP.* eodem modo loquuntur

quantur de utrisque. E contra pœnas remittit immediatè, uti docent communiter omnes Catholici cum *Pasq.* q. 72., per hoc nempe, quòd applicet satisfactiões Christi, uti habet *Trid.* suprà c. 1. & 2. Hinc infert *Pasq.* q. 56. n. 4. hoc Sacrificium non esse satisfactorium ratione suà independenter à Sacrificio Crucis, sed dependenter ab illo, sicuti enim victima eadem quasi transmittitur ab illo ad hoc Sacrificium, ita etiam virtus Sacrificii Crucis in hoc Sacrificium.

4. Impetratio omnis generis beneficiorum, etiam temporalium, quatenus salutì condùcunt, nam *Trid.* suprà definit offerri etiam pro aliis necessitatibus, & Liturgiæ omnes SS. *Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi* præcipiunt offerri pro pace, pro copia fructuum &c. Idem dicunt PP., quorum verba referunt *Bellarmin.* c. 3. *Becan.* n. 3. *Pasq.* q. 55. & 77. *Dicast.* n. 53. Imò Missam nunc habere præcipuam vim ratione impetrationis, probat inde *Bellarmin.* c. 4. prop. 3., quia vim præcipuam habet, prout offertur à Christo ut principali Sacerdote, sed Christus nunc non potest satisfacere vel mereri, sed tantùm impetrare: unde etiam ideo est propitiatorium, quia impetrat gratias actuales & auxilia pœnitendi: & hoc modo dici potest etiam satisfactorium pro pœnis, quod impetrare possit earum remissionem, saltem mediatè, uti vult *Pasq.* q. 73., fortè etiam immediatè, uti probabiliter tenent *Laym.* & *Lugo.* Simili modo potest hoc Sacrificium mediatè esse meritorium, etiam prout est actio Christi, in quantum impetrat gratias & auxilia ad merendum: est autem etiam immediatè meritorium,

prout est actio Ecclesiæ, Sacerdotis vel cooffe-
rentium, uti rectè *Pasq.* q. 114. n. 3. rectè pro-
bans q. 64. habere nihilominus propriam ra-
tionem propitiationis distinctam à ratione im-
petrationis, in quantum per gratias & auxilia,
quæ causat, tendit ad placandum Deum, &
præterea repræsentat Deo Sacrificium Crucis,
directè intentum ad remittenda peccata. Deni-
que notant *Suar. Con. Dicast.* n. 36. *Pasq.* q. 71.
contra *Sot. T. I.* & alios, secundam gratiam habi-
tualem per Sacrificium impetrari posse illi, pro
quo Sacrificium offertur, sed tantum mediata,
uti n. 45. dictum est de prima gratia seu remis-
sione culparum.

47.

§. 5. Sacrificium Missæ, respectu duorum
priorum effectuum, qui sunt Dei complacentia
& solutio gratiarum, causat in actu secundo
simpliciter infinitè, quia Deus actu infinitè sibi
complacet in hoc Sacrificio, & in illo pro gra-
tiis redditur bonum actu infinitum: sed respec-
tu duorum posteriorum effectuum, qui sunt
remissio peccatorum & impetratio donorum,
causat actu simpliciter finitè, quia Christus non
ordinavit, nec Deus acceptat nisi ad remissio-
nes & impetrationes actu finitas: & inde etiam
est, quòd in Ecclesia multiplicentur Sacrificia in
ordine ad eundem finem, & plura plus obti-
neant, quàm unicum; item quòd Sacrificium
plus profit uni, pro quo solo offertur, quàm
prodesse singulis, si pro multis offerretur, uti
notant *Suar. d. 68. f. 1. Barb. De potest. Episc.*
Alleg. 24. n. 7. Rayn. f. 4. c. 4. n. 11. Gob. t. 3. n. 134.
Card. Bona. c. 1. §. 4. Dicast. dub. 5. Henao à n.
1446. Pasq. q. 123. 125., quamvis q. 126. quoad
vim impetrandi dissentiat cum Vafq. Castrop.
Steph.

Steph. t. 5. d. 4. n. 58. *Aversu* q. 11. s. 7. Ratio nostra est, quia etiam impetratio fit per modum orationis, sed omnes communiter dicunt, & faretur etiam *Pasq.* q. 127. n. 7., si oratio distinctè offeratur pro 20. hominibus, plus valere, quam si confusè offeratur pro illis 20., ergo à potiori plus valebit, si offeratur distinctè pro uno, quam si pro 20. Manet tamen incertum, quid & quantum huic aut illi Sacrificio respondeat.

§. 4. Sacrificium, prout fit in persona Christi, causat hos suos effectus ex opere operato, id est, ex vi operis positi, præscindendo à merito & dignitate Ministri vel subjecti, *S. Th.* & alii cum *Pasq.* q. 57.; non tamen sic causat, prout fit nomine Ecclesiæ vel sacrificantis hominis, uti contra *Scot.* *Gabr.* *Henriq.* probabilius docent *Suar.* *Vasq.* *Pasq.* q. 108. & 114., quia quamvis Christus instituerit ponendum etiam nomine Ecclesiæ & à Sacerdote, non ideo illi attribuit effectum distinctum, quia ab illis fieret, sicuti instituit Sacramenta, ut à Sacerdote conferantur, sed non ideo Sacramento, prout à privata persona Sacerdotis ponitur, respondet distincta gratia. Potestque de his omnibus fusè videri *Rayn.* in *Heter.* Tom. 15. p. 2. s. 3. puncto 4.

§. 8. Ut Sacrificium in aliis causet effectus suos ex opere operato, non requiritur in sacrificante status gratiæ, nam *Trid.* sess. 22. c. 1. dicit nullā offerentis indignitate aut malitiā inquinari posse, id est, impediri virtutem causando, tenetque recepta omnium sententia, inquit *Dicast.* n. 160., & habetur pluribus locis in *Jure Canonico*: Hinc docent *S. Th.* 3. p. q. 82. a. 6.

aliique cum *Pasq.* q. 130. Missam mali Sacerdotis ex opere operato æquè prodesse quàm boni, quamvis esset etiam hæreticus, excommunicatus denunciatus, etiam degradatus, quia hic fructus specialis sequitur ad substantiam Sacrificii, prout est actio Christi principaliter offerentis: Quod secundum *Gabr. Sot.* & alios, in quos inclinat *Dicast.* n. 215., valet etiam de Missa, prout est actio Ecclesiæ, quidquid contradicat *Pasq.* q. 113., negans hoc, si Minister sit excommunicatus non toleratus. Idem tamen q. 106. n. 2. fatetur huic fructui non obstare, quòd fortè non sit in statu gratiæ: sed ratio nostra universalis est, quia Ecclesia illud offerens semper est sancta & Deo grata. *Nec obstat*, quòd Ecclesia tali prohibeat sacrificare, nam etiam Christus prohibet, & tamen, si fiat, offertur, uti à Christo, ita etiam ab Ecclesia. Rectè autem contra *Caj. Sot. Henriq.* & alios docet cum communissima *Pasq.* q. 102. & 103., ex hoc, quòd sacrificans habeat maiorem gratiam vel devotionem, non augeri in aliis fructum ex opere operato, quia vis operis operati non est ab actione, prout est Ministri, sed prout Christi: consequenter etiam dicendum est cum *Pasq.* q. 116. cooperationem Ministrorum ad Sacrificium esse fructuosam Ecclesiæ, quamvis Ministri non sint in statu gratiæ, quia ponitur nomine Ecclesiæ, & est moraliter actio illius, quæ semper Deo est grata. Addit probabiliter *Pasq.* q. 131. contra *Rayn.* n. 27. qui probabilius negat, Missam solennem esse ex opere operato efficaciorē quàm non solennem, tum ob actiones intrinsecas plures, tum ob assistentiam & cooperationem plurium: illa autem est solennis, quæ
fit

fit cum Diacono & Subdiacono ; imò & illa, uti
putat *Lohner* p. 1. t. 1. q. 1. quæ tantum cantatur.

§. 9. Ut Sacrificium specialiter profit uni po-
tius quam alteri, requiritur applicatio sacrifi-
cantis, quia cum sit institutum pro bono com-
muni, & sit secundum se indifferens, ut speciali-
ter profit huic vel illi, debet determinari per
Sacerdotem, *S. Th.* & alii communissime cum
Pasq. q. 161. Ut tamen fidelibus causet fructum
generalissimum, & coofferentibus specialissi-
mum, nulla requiritur applicatio Sacerdotis,
quia hoc ipso, quod ponatur secundum præ-
scriptum Ecclesiæ & ex cooperatione cooffe-
rentium, tanquam opus publicum & commu-
ne, est de se operativum illorum fructuum;
Pasq. supra n. 1. & iterum q. 93. Hinc si Sacer-
dos sit in gratia, quamvis fructum specialem
nulli applicet, Sacrificium ipsi proderit, quia
obtinebit fructum specialissimum, qui fortè
major est quam specialis, *Pasq.* q. 97. & 98. Po-
testque Sacerdos, etiamsi accepto stipendio ce-
lebrat pro alio, totum hunc fructum sibi reti-
nere, aut, si velit, partem ejus applicare alteri,
uti probabiliter tenent *Caj.* & alii 20. cum *A-*
versa contra *Suar.* *Laym.* *Pasq.* q. 99. Imò pro-
babile est coofferentes etiam posse applicare
alteri, *Nav.* & alii contra *Pasq.* q. 115. Et ad il-
lum fructum specialissimum à Sacerdote obti-
nendum sufficit voluntas virtualis vel impli-
cita, quam sacrificans semper habet, ut sibi pro-
fit, quamvis *Suar.* & alii cum *Dicast.* n. 164. qua-
deant formari semper intentionem, ut si ille,
cui applicat, non indigeat vel non sit capax,
profit sibi aut alteri. Quòd si Sacerdos ipse non
sit in gratia, communiter nihil obtinebit de
hoc

50.

hoc fructu, quia sacrificando peccabit, ergo per hoc nihil poterit à Deo sperare beneficii vel doni: si tamen putans se esse in gratia, bonâ fide sacrificaret, esset secundum se actus religionis & honestus, cui de congruo respondere posset fructus, sicuti attritio aliique actus supernaturales à peccatore elicti sunt de congruo meritorii, satisfactorii, impetratorii. Videri possunt *Dicast. d. 3. dub. 8. & Pasq. qq. citatis.*

- § 1. §. 10. Probabilius videtur, quod Sacerdos, prout præcisè est offerens, non participet ex opere operato nilum fructum ex sacrificio, sed tantum in quantum est unus ex illis, pro quibus offertur, ita *Vasq. Cón. Pasq. q. 58. contra Suar. Bonac. Amic. Fill.* Atque idem videtur dicendum de Ecclesia prout offerens est, *Suar. Vasq. Henric. Cón. Pasq. q. 59.* Idem consequenter & probabilius dicunt *Vasq. Cón. Pasq. q. 60. contra Suar. Henric.* etiam de Ministris & aliis adstantibus, prout coofferentes sunt. quia Sacrificium non videtur institutum ad causandum, nisi prout offertur à Christo pro illis, quibus per Sacerdotem applicatur, unde sicuti Sacramenta ex institutione sua & ex opere operato non profunt Ministris quàm talibus, sed tantum illis, qui suscipiunt, ita Sacrificium illis tantum, quibus applicatur. Docent autem aliqui cum *Diana p. 9. t. 2. R. 8.* Missas pro defunctis plùs quàm Missas pro vivis prodesse Sacerdoti, quia defunctis applicatur sola vis satisfactoria & reliquæ virtutes Missæ manent celebranti; sed *Gob. n. 634.* meritò tenet oppositum, quia ex mente illorum, qui Missam constituunt & quibus se accommodare debet legens, reliqui fructus cedunt amicis vivis defuncti.

§. 11.

§. 11. Sacrificium causat effectus suos infallibiliter, nam imprimis Dei complacentiam & quandam exsolutionem gratiarum infallibiliter causat, uti per se patet: deinde etiam infallibiliter, quantum de se est, causare remissionem peccatorum, docent *Valent.* & alii plurimi cum *Pasq.* q. 67. & 70., eamque sententiam probabilem ac piam vocat *Dicast.* d. 3. n. 20. Quoad remissionem poenarum pro culpis remissis, consentiunt ferè Theologi omnes cum *S. Th.* *Dicast.* dub. 2. *Pasq.* q. 74. Et absolute etiam quoad impetrationem tenent *Lugo*, *Garrizias* & alii contra *Pasq.* q. 77. & alios, nam Christus instituit ad illos fines, uti constat ex dictis à n. 43., & consequenter, si ex parte nostra non sit obstaculum, Deus ad eosdem fines oblatum acceptabit: & hoc ipsum cognovimus per traditionem, inquit *Becan.* supra n. 7. & *Dicast.* n. 47.

Obijcies. Sæpe offeruntur Sacrificia pro peccatoribus, qui non convertuntur; item pro beneficiis, quæ non impetrantur. R. Docent 20. AA. gravissimi cum *Pasq.* q. 67. peccatori certò & infallibiliter impetrari gratias actuales & auxilia, quæ Deus dabit aliquando, cum volet, per quæ possit poenitere: unde quamvis fortè pro libertate sua non cooperetur, effectum tamen suum habuit Sacrificium, quia ipsius non erat immediate causare remissionem peccatorum, sed tantum gratias & auxilia. Estque valde probabile cum *S. Th.* & *Pasq.* q. 67. contra *Suar.* & alios, hæc auxilia esse semper efficacia, si homo sit aliunde dispositus, nam *Trid.* sess. 22. c. 2. absolute dicit per Sacrificium fieri, ut si cum vero corde &c. accedamus ad Deum.

ergo
cii vel
nâ fi-
igio-
ndere
uper-
gruo
ideri
itatis.
rdos,
exo-
sed
uibz
Suar.
icen-
Vasq.
ter &
ontra
stan-
cium
nisi
per
nen-
non
illis,
qui-
Dia-
quàm
a de-
reli-
d Gob.
nente
ous se
as ce-
§. 11.

Deum, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Similiter Sacrificium impetrat certò & infallibiliter beneficia, si expediat saluti, & quis per indignitatem suam non obstat, ideoque debeat Deus prius placari: quandoque tamen Deus differt beneficium vel commutat in aliud, quia sic utilius est: atque sic semper impetratur, quod petitur, quia mens Sacerdotis per Sacrificium petentis est, ut ita obtineat, non autem omnino absolutè & statim, alioquin esset irrationabilis petitio nec institutioni Christi conformis.

33. *Instabis.* Saltem non est infallibiliter remissivum poenæ, quam debet in Purgatorio anima, pro qua offertur Sacrificium. R. Assumptum negant S. Th. Alb. M. & alii 36. AA. gravissimi cum Pasq. q. 74. contra Sot. Canum, Cordub. & Telet., qui putant hunc effectum in illis esse tantum ex benigna Dei voluntate; sed contrà est, quòd Sacrificium sit institutum etiam pro expiatione animarum in purgatorio, uti docet Trid. n. 35. & 45. relatum, voluitque Christus & Deus per illud juvari animas, ergo si offeratur, nihil obstat, quominus infallibiliter juvet. Communior tamen est sententia S. Th. & plerorumque cum Pasq. q. 74. non remittere infallibiliter totam poenam sed tantum partem, juxta taxationem à Christo factam in institutione hujus Sacrificii, hinc Trid. dicit eas per Sacrificium *juvari*, non autem absolutè liberari. An autem idem sit de Missa ad altare privilegiatum, dicetur n. 524.

54. §. 12. Sacrificium caulat complacentiam in Deo & quandam gratiarum exsolutionem, quamprimum existit; remissionem autem peccato-

cato-

catorum & impetrationem beneficiorum non semper statim, uti constat ex dictis n. 52. Unde quia secundum dicta n. 15. Sacrificium tum prius completè existit, quando intrinsecè finitur consecratio secundæ speciei, si unius tantum speciei consecratio poneretur, causaretur quidem aliqua complacentia & aliqua exsolutio gratiarum Deo, quia esset aliquod Sacrificium incompletum ponens objectum summè gratum Deo, & recognoscitivum beneficentiæ ipsius; an autem aliquid causandum esset circa remissionem vel impetrationem, planè incertum est, nec divinare libet, pendet enim à voluntate Christi, cujus institutio qualis circa hoc fuerit, ignoramus, neque nobis suggerunt aliquid Conc. vel PP.

Q. 6. *Quæ conditiones & dispositiones requirantur, ut quis per Sacrificium obtineat fructum satisfactorium aut impetratorium.* R. Intelligetur ex seqq. §. 1. Soli viatores sunt propriè capaces horum fructuum, quia Sacrificium est institutum pro Ecclesia militante: animæ tamen purgantes adhuc censentur esse quasi in via, cum necdum sint in patria seu termino: Quomodo autem etiam Beatis per Sacrificium impetrari possit major gloria accidentalis, dictum est num. 38.

§. 2. Ut quis sit capax eorundem fructuum quasi de condigno, debet esse baptizatus & in statu gratiæ, quia cum hoc Sacrificium sit pro Ecclesia institutum, videtur illis tantum ex iustitia exigere fructum, qui sunt in Ecclesia: si autem sint in mortali, sunt hostes Dei, ergo resistit eorum indignitas, quominus Deus ex iustitia teneatur illis concedere ejusmodi fructus.

Pasq.

55.

56.